

eorum die perpetuo amota esse celebranda sine octava vel cum residuo, illius applicari debeat Festo Titularis alicujus Ecclesiae quod ob perpetuum impedimentum ab Ordinario vi decreti 22. Aprilis 1741 in Wilnensi ad VII. in diem fixum repositum fuit? Vel Titularis sic fixe translatum habeat privilegium servandi suam Octavam, uti rubrica adnotat tit. X. n. 1 his verbis: Nisi titularis Ecclesiae privilegio aliter fieri oporteat?

S. C. resp.: Negative ad primam partem, affirmative ad secundam.

Die 12. Aug. 1854.

(Anal J. P. 1837 p. 2191.)

#### 14) Vesperae.

Cf.: *Vesperae*.

Abbatissa Monasterii s. Georgii ordinis s. Benedicti civitatis Patavinae pro declaratione dubii circa modum celebrandi secundas vespereas in festo s. Gregorii titularis ipsarum Ecclesiae etiam parochialis occurrentes cum primis vespereis dedicationis Ecclesiae Cathedralis S. R. C. humillime supplicante S. eadem C.: „Secundas vespereas de s. Georgio ex integro celebrandas esse cum commemoratione dedicationis Ecclesiae Cathedralis“ declaravit. N. 3949. Die 9. Augusti 1721.

### TITULARIS EPISCOPUS.

#### 1) Administrator.

Vd.: *Titul. Ep. Can.* (Pontificalia etc.); *Episcop. Titul.*

Quum sacerdotes Hieronymus Pavi praepositus in Cathedrali Liburnensi Ecclesia modo ad dignitatem episcopalem assumptus ac renunciatus episcopus Milten. in partibus administrationem obtineat dioecesis Liburnen. pro ea qua praestat religionem, veretur ne quid sibi assumat ex privilegiis et

honorificentis episcopalibus sibi seu administratori non debitis, nam praepositi dignitatem adhuc retinet, neque aliquid praetermittat episcopali characteri competens ac proinde Sacrorum Rituum Congregationis sententiam super sequentibus dubiis humillime requisivit, nimirum:

1. An Epistolam pastorem sive latine sive vulgari sermone conceptam commisso sibi in administrationem regi dirigere possit?

2. An uti possit Mozzetta vel potius supra Rochettum Mantelletum tantum gestare debeat?

3. An in pontificalibus uti unice debeat faldistorio?

4. An, dum choro assistit uti praepositus prima capituli dignitas, retinere debeat primum stallum?

5. An processionibus, ut suae praebendae competentes fructus percipiat, necesse sit ut cum suo capitulo incedat omnino occupans digniorem locum?

6. An in iisdem processionibus possit interdum incedere post sacerdotem deferentem sanctissimum Eucharistiae Sacramentum, quin tamen de propriae praebendae fructibus participet?

7. An unquam Missae solemniter assistere possit pluviali vel cappa indutus absque tamen circulo canonicorum vel potius requiratur ut cum mantelletum assistat ad lucrandos suae praebendae fructus? Item an in pontificalibus celebrans possit habere diaconos assistentes?

8. An episcopo administratori liceat perficere benedictiones candelarum, cinerum, palmarum ac fontis baptismalis in Sabbato sancto, quin Missam deinde celebret?

9. An habeat usum galeri cum cordulis et floccis viridis coloris ac hujusmodi colore possint ornari equi currus?

10. An caudatarii opera uti possit

saltem dum in sacris functionibus peragendis solutam habere debet longioris talaris vestis fimbriam?

Et sacra eadem Congregatio ad Quirinale hodierna die coadunata in ordinariis comitiis exquisito prius voto alterius ex apostolicarum caeremoniarum magistro, omnibus maturo examine perpensis, ac referente subscripto secretario, respondendum censuit

Ad 1. Negative.

Ad 2. Negative ad primam partem, affirmative ad secundam.

Ad 3. Affirmative.

Ad 4. Affirmative.

Ad 5. Affirmative.

Ad 6. Affirmative.

Ad 7. Quoad primam partem negative; quoad secundam affirmative, quoad tertiam negative.

Ad 8. Negative nam id unice competit episcopis ordinariis et quum orator praebendam retineat necesse est ut praxi communi se conformet, nimirum ut enunciatae benedictiones perficiantur a celebrante.

Ad 9. Negative ad primam partem et quoad secundam recurrat ad Sacram Caeremonialis Congregationem.

Ad 10. Affirmative in casu.

Atque ita rescribere rata est ac ex alias etiam decretis declarare. Die 23. Septembr. 1848.

(Corresp. de Rome 1850 Ed. II. p. 37.)

#### 2) Auxiliaris.

Vd.: *Titul. Episcop. Can.* (Pontificalia etc. decr. *Mediol.*)

#### 3) Canonicus.

a) Electio in Episcopum alterius vel ejusd. Dioecesis, cujus est Canonicus.

Vd.: *Titul. Episcop. Can.* (Habitus; electio; Pontificalia etc.)

Ad dub.: *An Canonicus, qui simul sit Episcopus Titularis, possit a Ca-*

*pitulo suae Ecclesiae Cathedralis eligi in Episcopum absque Brevis eligibilitatis?*

Notum jam est quod Episcopus unius Ecclesiae non possit in Episcopum alterius Ecclesiae eligi, sed postulari debeat, *cap. ultim. do postulat. Praelator.*; idque ex matrimonio spirituali quod Episcopum inter ac Ecclesiam intercedit.

Videtur autem posse eligi sine eligibilitatis Brevis eo quod regula de spirituali matrimonio cessat quantum ad Episcopum Titularem, quippe qui vere et proprie Ecclesiam habet. At contrarium et quidem jure meritoque resolvit *Christianus Thomasius* in Respons. Jur. impress. post Programmata §. 5. et plur. sequent. ea ductus ratione quod et Episcopum Titularem inter et Ecclesiam est spirituale matrimonium, adeoque carens ipse Brevis eligibilitatis nequeat ex matrimonio hoc spirituali eligi in Episcopum alterius Ecclesiae.

b) Habit., praeced. etc.

Colonien.

Eme et Rme Dne Dne Obsme. In ordinariis Sacrorum Rituum Congregationis Comitiis ad Vaticanum hodierna die habitis a. R. D. subscripto prosecretario quum inter caetera relatae fuerint etiam preces Rmi Joannis Antonii Frederici Baudii episcopi Arethusini in partibus infidelium archidioecesis illius Colomensis suffraganei, ac metropolitanae Ecclesiae canonici, quibus exquirebat solutionem sequentium dubiorum nimirum:

1. An episcopus titularis suffraganeus canonicatum vel dignitatem in capitulo retinens possit retinere habitum canonicalem, vel an debeat uti habitu episcopali ordinario inter officia publica ab alio seu episcopo seu sacerdote celebrata in Ecclesia



cathedrali et in aliis dioeceseos ecclesiis?

2. An possit etiam retinere et observare ordinem tanquam canonicus in stallo, in processionibus et aliis functionibus ecclesiasticis, vel an debeat observare praecedentiam quae episcopo ratione suae episcopalis dignitatis competit prae omni clero superiorum ordinum?

3. An liceat ei et an possit celebrare missam cantatam de turno canonicali in propria hebdomada, ut caeteri canonici, vel an debeat ab ea abstinere et alium ad eam celebrandam substituere?

Emi et Rmi Patres sacris tuendis Ritibus praepositi memores pluries hanc sacram Rituum Congregationem et Apostolicam Sedem consuluisse, ut debitus episcopali dignitati praestetur honor et reverentia exhibeatur et novissime de anno scilicet 1833 decimo septimo calendis Aprilis et decimo calendis septembris in una Mediolanensi decreto latum fuisse a sa. me. Gregorio Papa XVI confirmatum, quo per alias decreta in re soluta fuere dubia singula ab episcopo titulari canonico metropolitanae illius Ecclesiae proposita, juxta praxim inveciam, quin aliquid decernerent super propositis dubiis maluerunt respondere: Super expositis scribatur Emo Card. archiepiscopo Coloniensi, eique indicetur consuetudo Ecclesiarum Urbis, suadendo, ut introducat iterum in sua metropolitana Ecclesia, sicuti decere dignoscitur. Itaque in Ecclesiis urbis praesertim patriarchalibus haec potissimum servantur memoratis decretis apprimè conformia. Episcopi titulares choro addicti adhibent et adhibere tenentur habitum ordinarium, quo utuntur episcopi in Romana Curia, id est rochetum supra subtanam et mantelletum violacei coloris: praecedunt omnibus aliis canonicis et sedent in pri-

mo stallo super omnes. In missis de turno abstinent: in solemnioribus cum indumentis pontificalibus de licentia ordinarii de distributionibus participant; et omnia episcopali dignitate competentia titularibus episcopis tribuuntur non intermisere et tributa eisdem fuisse constat etiam quando episcopi titulares non fuerint canonicali dignitate insigniti et inter beneficiatos tantum accensebantur.

Hanc Romae et alibi religiosissime servatam praxim Sacra eadem Rituum Congregatio commemorandam duxit Eminentiae vestrae, ut juxta ipsam conciliet singula et sic episcopali dignitati consulat.

Interim Eminentiae Vestrae manus humillime deosculor.

Romae 10. Januarii 1852.

(Anal. J. P. 1852 p. 731).

e) Pontificalia exercens impedito etc. Episcopo ordinario.

Vd.: SS. Sacrament. (Delatio cui competit? decr. Mediol.); Titul. Ep. (Pontific.) etc.); SS. Viaticum (portand. Canonicis, decr. Mediol.)

Mediolanen.

Emi et Rmi Patres.

Amplissimum Metropolitanæ ecclesiae Mediolanensis canonicorum collegium constat dignitatibus et canonicis, uti vocant, ordinariis. Ejus capituli constitutiones veteribus, quae extabant, penitus abrogatis et omnino rescisis, condidit S. Carolus Borromeus archiepiscopus Mediolanensis et totius Italiae legatus a latere, quas capitulum sibi ab eodem propositas libenter excepit jam inde ab anno 1572, atque inde a Friderico Borromeo Cardinali archiepiscopo ex facultate fe. rec. Clementis VIII. Pont. Max. anno 1608 recognitas et in iis, quae fortasse deerant, absolutas per longam annorum seriem observavit et adhuc observat.

Notissimum porro omnibus est, quod

Caeremoniale Episcoporum lib. II. cap. 34 et alibi docet, plura scilicet per annum festa occurrere, in quibus decet vel episcopum solemniter celebrare, vel saltem vespere et Missae solemniter celebratae interesse. In praefatis Ecclesiae Mediolanensis constitutionibus adamussim cautum est, cui is honor est missae scilicet solemniter decantandae, si vel absentia vel alio quocumque impedimento, sede quoque vacante, archiepiscopus capitularibus obeundis functionibus prohibeatur: „Archiepiscopo, en constitutionum verba, quavis causis impedito absenteve vel mortuo, quibus diebus ille missae sacrificium solemniter facere et vespere divinave alia officia celebrare deberet, ut in tabella, quae de pontificalibus officiis et certis eorum diebus edetur, ne canonicus ordinarius, id quod antea moris erat, sed archipresbyter, quo absente aut justa de causa impedito, primicerius, deinde praepositus, post decanus, tum denique absentibus omnibus iis aut legitime impeditis, ordinarius canonicus, qui in capitulo adscriptus ac residens primum locum post dignitates obtinebit, id muneris exequetur.“

Primiceriatum, qui modo tertiae modo secundae dignitatis nomine in summarii documentis appellatur (quod tamen ad quaestionem parum refert) tertiam nempe dignitatem spectatissimus D. Carolus e Comitibus Caccia Dominioni nunc obtinet, cumque is, paucis abhinc annis, effectus episcopus titularis in partibus infidelium cui fuerit Rmo D. Bartholomaeo Romilli archiepiscopo Mediolanensi in adiutorem seu, ut nuncupare solent, in auxiliarem, factum est, ut solemnioribus diebus missam in capitulo metropolitano ipse, licet inter dignitates primum locum non obtineat, vice archiepiscopi saepe celebraverit, posthabito canonico archipresbytero, qui

tamquam prima dignitas primo a constitutionibus ad munus illud explendum nativo quodam privilegio destinatur. Jam fere tribus abhinc annis, ita reperitur in declarationibus, quae pro praefato episcopo auxiliari exhibentur „nempe a sua consecratione in episcopum Danaben. peracta die 2. decembris 1855, inter officia pontificalia, quae semper de mandato seu nomine sui archiepiscopi usque modo obivit, vires ejus multoties gessit in celebrandis missis solemnioribus in metropolitana Ecclesia et in peragendis aliis functionibus, quae juxta formam libri Caeremonialis Episcoporum ad ipsum Reverendissimum Archiepiscopum spectant, ipso aliquando praesente et assistente, nemine unquam dissentiente et capitulo semper inservente ad normam Caeremonialis Ambrosiani etc.“

Hinc, Emi et Rmi patres, hodiernae quaestionis causa exorta est. Canonicus namque D. Caesar Maria Pertusati ad archipresbyteratum, primam scilicet dignitatem, cui praefectura majoris capituli necnon animarum cura ejusdem metropolitanae Ecclesiae parochialis conjuncta est, nuper evectus per apostolicas litteras sep. cal. Aprilis 1858, supplices jam inde a mense Augusto 1858 Sanctissimo D. N. Pio Papae IX. preces exhibuit, quibus humiliter postulat, ut per dubiorum, quae ab ipso proponuntur, solutionem „de juribus metropolitani capituli simul ac auxiliaris episcopi ita provideatur, ut nulla unquam disputatio oriri queat, statuatur.“

Dubium:

Absente vel nolente archiepiscopo pontificalia celebrare spectatne ad capitulum, nempe ad ejus Dignitates ordine respective, hinc primo ad Archipresbyterum, vel potius ad Epis-



*copum auxiliarem, esti canonicum non prima capituli dignitate praeditum?*

*Resp.*: Antequam hujus dubii solutionem aggrediamur, nonnulla probe in antecessum animadvertenda esse existimamus, ut germanus pateat quaestionis status. Et primo hic non quaeritur, an episcopus, qui non est dioecesanus, possit aliquando, de licentia Ordinarii, solemnem missam celebrare tum in aliis ecclesiis tum in ipsa cathedrali seu metropolitana independentem a functionibus capituli. Neque item agitur de episcopo, qui in functionibus dioecesanis Missam aliquando solemniter celebret loco et vice Ordinarii impediti, quemadmodum evenire potest in synodo provinciali, ut missa solemnis de Spiritu Sancto ab antiquiore ejusdem provinciae episcopo cantetur, Caerem. Ep. lib. I. cap. 31 §. 13 vel etiam loco et vice dignitatum aut canonicorum, ad quos respective spectet, dummodo is fuerit rite urbaneque invitatus, atque id a particularibus constitutionibus non prohibeatur.

Neque etiam hic sermo est de Missis, quae dignitatem et characterem episcopalis ordinis omnino requirunt, cujusmodi esset missa pontificalis pro solemnibus ordinationibus temporibus a jure statutis vel pro confectione oleorum sanctorum fer. V in Coena Domini, quia absque dubio ad eas functiones, impedito episcopo ordinario, assumendus est episcopus vel auxiliaris, qui ad hoc praecise ab Apostolica Sede conceditur, vel alius episcopus etiam extraneus, quibus tamen ab episcopo dioecetano facultas ad id facta sit. Excipiendi tamen ab hac regula sunt sex Cardinales episcopi suburbicarii, qui ex constitutione Alexandri VII., nisi proprium episcopum suffraganeum in sua quisque dioecesi habeat aut nisi ipsi in ea commorantes ordines

per semetipos conferant, ad solum Cardinalem Urbis vicarium dimittere possunt suos subditos sive sacris sive minoribus ordinibus initiandos. De his nulla excitari potest difficultas quin ab episcopo peragi possint loco ordinarii vel impediti vel nolentis.

Hinc in una Bracharen. 21. Februarii 1604 provisum est ab hac ipsa s. Congregatione, *teneri Canonicos et Dignitates episcopo suffraganeo assistere, quoties praedictas* (reconciliationes ecclesiae vel atrii, quando aliquo casu polluitur) *vel similes functiones episcopales nomine proprii archiepiscopi exercet.* Et clarius die 1. Septembris 1607: „In functionibus, quas exercet episcopus suffraganeus vel alius episcopus delegatus a proprio archiepiscopo, velut in ordinationibus clericorum, in consecrationibus et reconciliationibus altarium et ecclesiarum seu coemeteriorum et in similibus, Dignitates et Canonicos teneri assistere episcopo suffraganeo in habitu canonicali, quando legitime non erunt impediti et ex eis sacra sumere debere paramenta tot Dignitates et Canonicos, quot necessarii sunt, juxta rubricas pontificalis et formam actus, quem dictus suffraganeus exercet.“

Propterea in Caeremoniali Episcoporum ea mature praescribuntur, quae praestare debet episcopus proprius, qui velit *cum pluviali et mitra assistere missae per aliquem praelatum celebrandae.* lib. II. cap. XXXIV., n. IV., atque insuper *si forte vellet esse paratus in hujusmodi missae ab alio episcopo celebrata,* ib. cap. IX. n. VII.

Haec apposite sejungenda duximus, ne cum hodierna quaestione confundantur, in qua praecise inquirimus, quod in dubio proponitur: an scilicet diebus, quibus, impedito vel nolente archiepiscopo, missae solemnis altarumque sacrarum functionum celebratio, quae constitutis ex ordine ca-

pituli dignitatibus, ut diximus, attribuitur tum a regulis generalibus, tum a peculiaribus, antiquissimis probatisque capitularibus constitutionibus, isthaec inquam sacrarum functionum ac Missae celebratio in praedictum praedictarum dignitatum competere de jure possit dignitati posteriori, scilicet tertiae, cui aliunde nulla ratione competeret, nisi priores duae dignitates vel impeditae forent vel pro lubitu successive cederent, ea solum de causa quod in ipsa tertia dignitate accidentaliter reperitur qualitas episcopi titularis ac etiam auxiliaris, ad quam nuper evectus est, cum apostolica dispensatione retinendi canonicatum.

Hujusmodi quaestionis negativam proferre sententiam non dubitamus iis adductis rationibus quae sequuntur. In episcopo auxiliari canonicatum retinente tres ad rem nostram qualitates concurrunt, canonici nempe, *episcopi titularis et episcopi auxiliaris.* Atque sola qualitas canonici ea est, quae in sacris functionibus capitularibus peragendis jurisdictionem et praeminentiam determinat: nihil vero addit neque qualitas episcopi titularis neque qualitas episcopi auxiliaris, prout distincte ostendemus, nisi accidentalem quamdam praecedentiam in assistentia chori aliisque functionibus, quae hodiernae quaestioni est omnino extranea.

Et vero juxta ipsius capituli votum *cum controversia Episcopi auxiliaris et archipresbyteri utriusque dignitates potius quam personas afficiat,* in ipso quaestionis limine animadvertere juvat quando agitur de capitulo ac capitularibus functionibus primas sibi partes jure vindicare *canonici* qualitatem. Licet enim dignitas episcopalis nobilissima quidem ac praeclarissima, dignitatem canonicalem *per se et absolute* longe antecellat, tamen dignitas canonica *relative* ad capitulum et

capitulares functiones est *discretive* anteferenda, quia quantum ad praedictum capitulum et functiones, prima nempe episcopalis respicit actus, pene dixerim, tantum *externos et accidentales*, altera autem, scilicet canonica, actus *intrinsecos ac jurisdictionales.*

Et sane inter honoris, praecedentiae et praeminentiae jura, quae episcopis absolute et per se competunt, non omnia et singula ipsis exhibentur, quando retinentes canonicatum aliquem considerantur complexive tamquam membra in corpore capituli, sed quibusdam quasi limitibus circumscribuntur.

Placet hos limites designatos inspicere in una Asculana die 10. Aprilis 1728 in causa inter Reverendissimum Jo. Philippum Conti Asculanae cathedralis canonicum auctum a Benedicto PP. XIII titulo episcopatus Erithraeae et inter capitulares ubi, cum quaeretur, quomodo se gerere debeat canonicus episcopus titularis tam super modo sedendi in choro quam supra aliis praeminentiis in ecclesiasticis functionibus, ut exercitium munerum canonicorum cum episcopali dignitate concilietur, sacra Congregatio plura ibidem praescripsit, quae ad haec capita referri possunt, scilicet: *Primo* per archidiaconum sive presbyterum assistentem pacem non esse deferendam episcopo titulari antequam canonici assistentes in throno illam recipiant ab episcopo locali, eundemque episcopum titularem thurificandum esse post archidiaconum et canonicos throno assistentes. *Secundo*: canonicum episcopum titularem in missis et vespere cantatis cum assistentia episcopi localis teneri discedere a stallo unacum reliquis canonicis pro faciendis consuetis circulis praescriptis a Caeremoniali Episcoporum. *Tertio*: exercente episcopo pontificalia et assistente capitulo cum paramentis sacris licere episcopo



titulari assistenti in stallo cum reliquis canonicis deferre pluviale, cum eoque posse, accedente episcopi consensu, mitram episcopalem deferre, quae tamen debet esse lineae et per seipsum imponenda et amovenda a capite.

Maxime vero attenda sunt duo dubia, quae num. 7 et 8 sic fuerant inter partes concordata, scilicet:

„An liceat episcopo titulari canenti missas et vespas uti canonico in propria hebdomada uti faldistorio et indumentis pontificalibus seu potius illas canere debeat sedendo in scamno prout practicatur cum reliquis canonicis et absque pontificalibus indumentis et quatenus affirmative ad primam partem: ac deinde, an in tali casu teneatur petere licentiam ab episcopo locali in casu?

Ex quorum dubiorum verbis ac contextu apparet sermonem ibi esse de missis et functionibus, quae canonico episcopo ex turno peragenda obveniebant. Eis autem ita respondit s. Congregatio: *Ad mentem et mens est ut in missis de turno absteineat et subroget alium, in solemnioribus vero non posse faldistorio et indumentis pontificalibus uti nisi de licentia episcopi.*

Ex his sane eruitur honoris et jurisdictionis et praecedentiae jura, quae episcopo debentur per se et absolute spectato, non eadem plane esse, quae episcopo exhibentur inter canonicos tamquam capituli membrum sacris functionibus assistenti: dum juxta proposita decreta jurium illorum usus vel prohibetur omnino vel perstringitur vel etiam archidiacono et presbytero assistenti etc. licet episcopali dignitate non auctis rite postponitur. Quapropter, ut initio proposuimus in casu nostro, sola qualitas canonicalis attendenda est ad determinandam jurisdictionem in functionibus peragen-

dis, non vero qualitas episcopalis. Sed haec quae vix delibavimus fusiori calamo tractanda sunt.

Et quoniam aliqua praecedentiae jura episcopis titularibus canonicatum retinentibus conceduntur, de his modo distincte agendum est, ut ostendatur illa, quaecumque ea sint, referri solum ad assistentiam in sacris functionibus et ad actus quosdam accidentales, minime vero ad praecedentiam in functionibus sacris et capitularibus peragendis aut ad quoscumque actus jurisdictionales.

Non raro quidem usu venire solet, ut ex numero canonicorum alicujus ecclesiae, basilicarum praesertim ac cathedralium, aliquis existat, qui cum dignitate canonici titulum et characterem episcopi conjugat. Frequenter item atque acriter ex hac circumstantia excitatas fuisse quaestiones de praecedentia hujusmodi canonicorum supra reliquas ejusdem capituli dignitates et canonicos, quibus aliunde ratione praebendae et constitutionum erant, inferiores satis evincunt plura quae hac in re edita sunt sacrae hujus Congregationis decreta. Ex uniformibus vero, quae perpetuo prodierunt, sententiis profecto patet, s. Congregationem, quin ullum umquam capitulis praejudicium inferret quoad actus jurisdictionales, semper tamen constanterque tenuisse sententiam, ut episcopi canonicatum retinentes quoad locum sedendi et procedendi omnes alios canonicos ipsis etiam *in canonicatu anteriores et digniores praecedant.* „Sic placere sibi dixit in Ruthenen. 24. Septembris 1603 in hoc consuetudinem trium ecclesiarum patriarchalium urbis nempe s. Joannis Lateran., s. Petri et s. Mariae Majoris, in quibus si aliquis canonicus habuerit dignitatem seu ordinem episcopalem cum retentione canonicatus, praecedit omnes alios canonicos etiam ipso in

canonicatu anteriores et digniores et ita servandam esse in ecclesia Ruthenen.“

Hoc ipsum confirmatum fuit in Compostella 15. Julii 1618. Cum enim in ea ecclesia episcopus Busciae in partibus infidelium obtinuerit et habeat canonicatum et dubitatum fuerit:

*In quo loco sedere debeat et quo habitu uti debeat in ecclesia?* proposito hujusmodi dubio in S. R. C. responsum exiit: „Ratione episcopatus episcopum posse et debere uti habitu ordinario, quo utuntur episcopi in romana curia, id est rochetto supra subtanam et mantelletto violacei coloris, et debere praecedere omnibus aliis canonicis ejusdem ecclesiae et sedere in primo stallo supra omnes, ut fit et servatur Romae, simili casu eveniente in tribus ecclesiis patriarchalibus s. Joannis, s. Petri et s. Mariae Majoris.“ Videsis jam in hac causa nihil omnino emergere, quod sapiat praecedentiam seu praelationem circa celebrationem Missarum sacrarumque functionum sive actuum jurisdictionalium. In dubio nihil proponitur, nisi *quo habitu uti debeat in ecclesia episcopus iste et quo loco sedere debeat*, scilicet an sedendo et extensive ad alios actus procedendo praecedentia ipsi competat supra alios canonicos ac dignitates. In responsione vero nihil aliud adjungitur, quod petitionis limites excedat, nempe praecedere debere omnibus aliis canonicis et sedere in primo stallo, ut fit Romae in tribus ecclesiis patriarchalibus, in quibus praecedentia isthaec non extenditur ad actus jurisdictionales.

In hac autem retinenda sententia tam constans fuit ac firma s. Congregatio, ut in eadem quaestione, licet ea iterum ac tertio, novis semper deductionis argumentis ex parte dignitatum et canonicorum in medium prodierit, idem semper tenuerit responsum. Hoc au-

tem praecipue est in Majoricen. praeminentiarum, in qua cum die 16. Decembris 1679 respondisset: „Episcopus Oropiensis, qui obtinet canonicatum in cathedrali Majoricen., praecedere debet supra dignitates et canonicos ejusdem cathedralis, proposita iterum causa die 7. Junii 1681 super declaratione praedicti decreti, iterum sententiam confirmavit respondendo: „In decisis quoad episcopum, quo vero ad archidiaconum praecedat aliis dignitatibus et occupet locum post episcopum Majoricensem immediate.“ Instauratis insuper tertio precibus a dignitatibus et canonicis pro recessu a decisis et declaratione, tertio respondit: *Standum esse in decisis sub diebus 16. Decembris 1679 et 7. Junii 1681.*

Haec autem sententia ut dictum est praeter actum et praecedentiam externam additne quidpiam episcopis hujusmodi quod actus jurisdictionales respiciat aut conceditne aliquid, quod jurisdictionem aliquam praelationis ipsis attribuat in exercitio sacrarum functionum? Minime quidem. Et hoc magis magisque patebit progressu disputationis.

Interim animadvertere liceat, hanc ipsam praecedentiam ut mere externam et accidentalem non procedere ex interiore rei natura neque ex juris principis, sed ex mero exemplo consuetudinis, quae invaluerat in patriarchalibus urbis ecclesiis et quam *placere* sibi dixit s. haec Congregatio: *in iis etiam ecclesiis servari.* Ita acute observat Cardinalis de Luca lib. III. prov. II de praem. disc. 41: „In puncto juris certum videtur quod neque dicta praeminentia primae sedis in choro et primae antiphonae competat, sed eatenus s. Congregatio hunc habet sensum... quatenus ita suadeat enunciata consuetudo basilicarum urbis et praesertim Vaticanae.“

Nec solum de canonicis episcopis